



**Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

10. Pastoralis Officii &c. Constitutio Renovatoria Bullæ Apostolici Ministerii  
circa disciplinam præsertim Regularem pro Regnis Hispaniarum.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](#)

X.

Constitutio Renovatoria Bullæ Apostolici Ministerii circa disciplinam præsertim Regularem pro Regnis Hispaniarum.

## BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

Querela de  
dictæ Consti  
tuitionis in  
obseruantia  
& contra  
eam haec  
nus gestorum  
annullatio.

P Astoralis Officii sollicitudo nos admonet in his vigilantia, & auctoritatis Nostra partes libenter interponere, ut quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad Dominicis Gregis, animarumque salutem, & directionem provide constituta reperiuntur, suum plenarium fortiantur effectum.

§. 1. Cum itaque quamplurimum ex Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regionorum Hispaniarum literis non ita pridem intellexerimus, Constitutionem pro Ecclesiasticæ disciplinæ in eisdem Regnis conservatione, & instauratione à fel. record. Innocentio PP. XIII. Prædecessore Nostro die 13. Maii 1723. post maturum consilium editum, quæ incipit: *Apostolici Ministerii &c.*, ac subinde à Nobis per quadam nostras in simili forma Brevis die 23. Septembris 1724. desuper expeditas litteras, quibus totum ipsius Constitutionis tenorem inservimus, confirmatam, & innovatam per nonnullos præsertim Regulares in dd. Regnis degentes hanc omnino, ut par erat, servari, quinimo ejus executionem variis artibus, inanibusque prætextibus retardari, atque eludi; graviter comotis fuiimus, nec defunimus conceptum inde dolorem, ac indignationem nostram cum Superioribus generalibus ipsorum ordinum communicare, eisque disertè explicare firmam, constantemque voluntatem, ac intentionem nostram esse, ut memoria Confessio prompte, & omnino ex executioni demandaretur, & in transgressores, seu inobedientes condignis penitentias animadverteretur: Ipsi vero Superiores Generales pro ea, qua prædicti sunt, prudentia, probitate, & filiali in Nos, & hujus S. Sedis mandata obsequio, id contra, & præter eorum mentem, ac non sine intimo animi sui mero accidisse Nobis, ingenuo declararunt vehementer etiam improbatas quidquid contra eamdem Constitutionem scripto, vel facto attentatum fuerit per aliquot suos subditos, pro quibus erroris, ac noxae veniam à Nobis suppliciter implorarunt, simulque polliciti sunt sedulam se datus operam, ut quæ in ea facienda, servandaque præscribantur, ab omnibus, & singulis suis Religiosis absque mora adimplantur. Licet autem Nos non minus ad enixas eorumdem Superiorum Generalium preces, quam ob peculiarem paternæ charitatis affectionem, quo Religiosas semper prosequuntur sumus, & prosequimur familias, in quarum altera, inclito nempè Fratrum Prædicatorum Ordine diu versati sumus à penitentia adversus dictos transgressores infligendis abstineamus, nihilominus quæcumque haec tenus ad remorandam, sive eludendam, aut quomodolibet impediendam prædicta Constitutionis executionem à nonnullis ex prefatis Regularibus scripta, acta, & gesta fuerunt cum inde sequutis, & quandocumque sequuturis, auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus, ac pro reprobatis, & damnatis ab omnibus haberi volumus, & decernimus.

§. 2. Præterea gravius mentis nostræ super eadem Constitutione testimonium, ac Judicium perhibere volentes, districte, ac in virtute sancte

ta Obedientia Nostræ Virilia Christi potestate in Terris fungentibus ab Universis Christifidelibus debite, harum, serie denud præcipimus, & mandamus, ut exacte, & inviolabiliter, omnique colore, pretextu, titulo, & contraria quavis interpretatione prorsus sublati, serventur omnia, & singula in enarrata Innocentii Prædecessoris Constitutione sancta, ordinata, declarata, ac quoquo modo contenta, quæ Clerum tunc Secularem, tunc Regularem prædictorum Regnorum concernunt, etiam juxta formam in hisce literis nostris, ut infra, præscribendam. Cum igitur in eadem Constitutione inter alia cautio fuerit, ne in Monasteria, Conventis, & Domos tam Virorum, quam Mulierum plures Personæ recipierentur, quam quæ vel ex proveniibus ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, sive ex consuetis elemosynis, aliisque obventionibus in commune conferendis possint commode subsistunt; Hinc pro firmiori saluberrimæ istius sanctionis robore statuimus, ut Superiores eorumdem Monasteriorum, Conventuum, & Domorum subditis suis, sive Clericis, sive Conversis ibidem degentibus subministrari current, & faciant omnia ad viatum, & vestitum necessaria; Et si plures Religiosos in aliquo Conventu nunc existere compertum fuerit, quam in eo juxta modum præmissum sustentari valeant, Superior Provincialis, sive Prætus eos ad alterum ejusdem Provinciae Conventum, qui ipsorum sustentationi idoneus, & sufficiens sit, statim transferat; Quatenus vero numerus Religiosorum in singulis Provinciis degentium, vires Conventuum uniuscuiusque Provinciae respectivè excusat, non alii deinceps ad Religiosum habitum in ea suscipendum admittantur, donec per obitum hodiæ viventium illo redactus sit, ut commode ali valeant: Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Apostolica Sedis in eisdem Hispaniarum Regnis Nuncio seriò injungentes, quatenus sedulò curet, ut præmissa plenaria sua effectum obtineant, prout illi in dicta Constitutione demandatum fuerat.

§. 3. Similiter volumus, ut in promotione Regularium ad Ordines, decretum pia memoria Clementis PP. VIII. Prædecessoris etiam Nostri, juxta memoratam Constitutionem accuratissime observetur, districte quoque inhibentes omnibus Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, ne eodem Ordines conferre præsumant alicui Regulari, qui vel in Monasterio, sive Conventu intra suam Diœcesis sit non degat, vel si de familia Monasterii, seu Conventus alterius Diœcesis fuerit, litteras dimissorias sui Superioris Regularis non exhibeat, servata in præmissis decreti Clementis, ac Constitutioni Innocentii Prædecessorum prædictorum dispositione.

§. 4. Eisdem quoque Archiepiscopis, & Episcopis sub intermissione Divini Judicii denud præcipimus, ut quibuscumque mulierum Monasteriis tam sibi subjectis, quam etiam quomodolibet exemptis, omni studio, ac diligentia incumbant, & advigilent executioni eorum, quæ pro custodienda Sanctimonialium clausura, impediendoque in dicta Monasteria exterorum ingressu, tum in Sacri Concilii Tridentini Decretis, tum in Constitutione similis memor. Gregor. PP. XIII. Prædecessoris itidem Nostri, quam idem Innocentius Prædecessor in præfata sua Constitutione innovavit, desuper sancta fuerunt.

§. 5. Porro injungimus quoque exactam ejusdem Innocentii Constitutionis obseruantiam circa Confessiones à Regularibus prædictis, nec etiam ex Indulto, quod eis competere perperam præterditur in vim Bullæ Cruciatæ Sanctæ nuncupatae, nec

ANNO  
1726;  
sive Reli  
giotorum nu  
mero ex ob  
ventionum sufficien  
tia metiendo:

De obser  
vatione Decre  
torum super  
collatione  
Ordinum.

De Sancti  
monialium  
clausura cui  
todienda,

De confes  
sionibus Re  
gularium.

Uerior de  
claratio dif  
positionis.

Super Episcopi Dioecesani approbatione obtinendo pro audiendis Monialium Confessionibus.

Poena contravenientium Decreto circa deputationem Confessarii extraordinarii pro Monialibus.

Ita infringientium Decreta de Oratoriis privatorum Missis & usu Altaris portatis.

Claustrorum preservativa.

ex alio quocumque privilegio expedendas absque precedente approbatione, & licentia Ordinarii pro tempore existentis loci, in quo Sacramentum penitentiae ministretur, servata quoque limitatione, qua in ipsa licentia ab eodem Ordinario adjecta fuerit, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel genus Personarum; Declarantes, quod in omnibus casibus prædictis confessiones aliter factæ, & respective excepta nullæ, atque invalidæ, ipsique Confessarii eo ipso suspensi erunt.

**S. 6.** Ad hæc rursus prohibemus, atque interdicimus, ne Regulares cujuscumque Ordinis, & Instituti excipere audeant Confessiones Monialium, etiam eorum regimini subjectarum, & ab Ordinarii Jurisdictione quomodolibet exemptarum, nisi, ultra licentiam suorum Superiorum Regularium, examinati fuerint, & pro ipsarum Monialium Confessionibus audiendis specialiter approbati ab Episcopo Dioecesano; Et si feci factum fuerit, tunc quoque Confessiones irritas, & Confessarios ipso Jure suspensos fore itidem declaramus; Ab hujusmodi tamen lege, & ordinatione ad supplicationem Dilecti Filii Nostri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, & Moncada nuncupati eximus Superiores Generales, ac etiam Provinciales cuiusvis Ordinis Regularis, quibus, ut Confessiones Monialium sibi tamen subjectarum dumtaxat, absque istiusmodi speciali approbatione Episcopi Dioecesani audire licet, & validè possint, permittimus, & indulgemus.

**S. 7.** Et quia mentis, ac intentionis Nostra est, ut remota quavis diversa intelligentia, & interpretatione præcisè serventur ea, quæ in eadem Innocentii Prædecessoris Constitutione super assignatione, seu deputatione Confessarii extraordinarii Monialibus sub Praelitorum Regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque, ut Superiores, qui Decretum illud quocumque titulo, vel prætextu non servaverint, vel ejus executioni aliquod impedimentum direxerint, aut indirecte præbuerint, ipso facto suspensionem a eorum Officis, nec non privationem vocis tam activæ, quam passivæ incurant.

**S. 8.** Eisdemque penit eo ipso, & absque alia declaratione incurriendis subjiciimus etiam Regulares, qui sanctis, & ordinatis tum à rec. memor. Clemente PP. XI., tum ab ipso Innocentio Prædecessoribus quoad celebrationem Missæ in Oratoriis privatis, sive eorumdem Regularium Cellis, nec non usum Altaris gestatoriai, seu portatilis qualitercumque contravenerint, seu minimè obtemperaverint.

**S. 9.** Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari debere; sicut, & non altero per quocumque Judices Ordinarios, & Delegatos eriam Causarum Palati Apostolici Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfatae Nuncios, aliosve quilibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alteri judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si feci super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

**S. 10.** Non obstantibus præmissis, ac quæ-

nus opus sit Nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quæsto non tollendo, alisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis nec non quorumcumque Ordinum, Congregacionum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, & quorumvis Monasteriorum, Conventuum Ecclesiæ, Locorum Piorum, aliisve quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumque longissimis, & immemorabilibus, Privilegii quoque, indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiæ, & Locis Piis prædictis, illorumque respectivæ Superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, corumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum evrimerentur, & inferrentur, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis, & inferris habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

**S. 11.** Ut autem eadem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranenæ, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Citorio, & in Aci Campi Flora de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicutque publicatas, & affixas omnes, & singulos quos illæ concernunt, perinde arctari, & affigere, ac si unicuique eorum nominatio, & personaliter intimata fuisset; utque ipsarum litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu aliqui Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeat, quæ ipsi præsentibus adhibetur si forent exhibita, vel offensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Martii 1726. Pontificatus Nostri anno secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

Loco + Annuli Piscatoris.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Indictione quarta, die vero 28. mensis Martii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divinæ Præsidentiæ Papa XIII., anno secundo supradictæ Litteræ Apostolicae affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariae Majoris, Cancellariae Apostolicae, Montis Citorio, & in Aci Campi Flora, & alii loci soliti, & consuetis Urbis per me Franciscum Marchetti Apost. Curs.

Nicolaus Capelli Mag. Curf.  
Litteræ

ANNO  
1726.  
Derogatio  
contraris.

Publicationis Mandatum & transsumptorum fidem.

Die 27. Martii 1726. P.A. secundo.

Publicationis.